

MACHINARVM

Declaratio 40. figura.

Sanè vt arbitror non parua adferret huius machinae cognitio delectatione cum saepe occurrat illius vsus & artifices deficiat, hac autè ita subleuatur onus & attrahitur què admodum aquis nauis vehitur sine illius vllò detrimento, sed illa ampliore volunt declaratione, quàm quantùm mihi facile fuerit paucis verbis describam. Hic noster autor, exempli gratia obeliscum pingendum curauit, qui est ab oriente vergens ad occidentem distans à linea septentrionali 2. m. 9, par, altus 2. m. 10. p. Illa autem his tollitur instrumentis, Ad septentrionem sunt duæ compagine lignorum perpendiculariter erectorum & fixorum, cum chordis, tum grauitate ponderis sui distantes inter se hac longitudine vt inter ea intromitti possint brachia (ab angulo septen. & occid. ad angulum occid. & meridiei vergentia, quorum longitudo est 3. m. 24. p.) à quorum brachiorum fine occidentali pendet obeliscus, cum eorundem pars altera in terra sit: illa autem brachia trahuntur funibus illis alligatis, quæ ad vnum redactæ torno (in quo est tripaston) glomeratur, est verò tornus in parte compagine septentrionalis distans à linea orientali 13. p. Rursus est machina triangulum scalenū efficiens qua sustinetur obeliscus, in huius autem trianguli latere subtenso sunt funes qui arripiuntur vncis ex obelisco apparentibus. Itè obeliscus subleuatur æquipondio vergente ad meridiem (parallelo ferè lineæ orientali) cuius longitudo est 12. m. 16. p. & in eius parte extrema meridiana sunt pondera, grus autem in medio stans cogit æquipondium: superiores autem funes producuntur de tornis in quibus sunt trispasta, qui funes ad meridiem attrahunt obeliscum. Hi autem torni tam altè insidere debent quam est pars illa obelisci cui alligantur isti funes. Iam postquam ad tornum septentrionalem peruenerunt brachia de quibus diximus, denuo est inchoandum, vt rursus feratur obeliscus. Quod est propositum.

PROP. XLII.

Novum & certum instrumentum, constituendis loco quamuis humili caminis à quibus & solis radij & ventorum flatus ita arcentur, vt in cubiculis nullus offendatur fumo.

Declaratio 41. figura.

Quanta sit huius rei utilitas & quantum requiratur ad habitationis commoditatem nemo non scit, hoc autem declarabo quantùm possum cōiectura, experientia, & ratione cum ex figura obscure ab autore ipso descripta prespicue omnia haberi non possint: est autem ædificium in quo caminus est recta soli subiectus in hac figura, in quo camino apparent multæ scissuræ instar crurum trianguli, quibus ex aduerso oppositæ sunt similes, non ita vt respondeant, sed vt scissura opponatur pleno parieti vt per vnam ingrediente vento, fumus per oppositam & inferiorem egrediatur. Os autem supremum camini fingendum est vt limbus illi circumponatur, ne caminus impleatur radiis solis. his ita constitutis propositum apparet.

PROP. XLIII.

Novum pulpiti genus, in quo duobus aduersis & aptatis speculis literarum formæ reflexæ ac aucta ex altero lectionem reddunt magis expeditam, minusque hebetatur oculorum acies.

Declaratio 42. figura.

Non caret subtilitate pulpiti hoc genus, in reflectione enim radiorum speculi ad speculum huius ratio sita est.

Forma hæc pulpiti quæ est in septentrione integrum & partibus absolutum est, cuius reliquæ sunt partes, quarum pes vel fulcrum vergit ad meridiem, deinde fulcimentum librorum est in medio ad orientem, estque bipartitum, nam in superiori parte imponitur liber in inferiori speculū, in basi fulsimenti apparent duo foramina in quibus imponuntur fulcra defferentia aliud speculum & superius priore. Horum autem fulcrorum & speculi figura est ad orientem. Iam illo ad librum conuerso radii reflectuntur in aliud in quo facile legitur. Atque hoc facile est & experimèto certum.

PROP. XLIII.

Recens inuentum haud aspernandum, quo præ alti putei aqua, absque tubis & spiraculis, ita potest exhauriri, vna & altera trochlea, vt ponderis tantummodo dimidium persentiat is qui ingum agit.